

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

11 April 2011

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. Alexander Neckam on the appearance of the moon (ca. 1180)

Nonnulli sollicitantur unde umbratilis quaedam macula in luna videatur. Placuit ergo quibusdam lunare corpus esse cavernosum, ita quod cavernae lunae lucis solaris radios in se non admittant. Aliis visum est corpus lunae non esse rotundum, sed in quibusdam sui partibus esse eminentius, in aliis depressius. Partes igitur depressae in modum convallium, beneficium lucis solaris non sentiunt. Haec autem opinio praedictae opinioni collimitanea est. Volunt alii lunare corpus in sui natura obscurum esse, ita ut quaedam ejus partes obscuriores naturaliter sint aliis, unde et illuminationi non sunt obnoxiae. Sed sciendum est, in signum et in instructionem nostri hoc factum esse. Merito enim praevaricationis primorum parentum, omnium planetarum et stellarum fulgor dispendium claritatis sustinuit. Luna vero, quae vicina terris est, et aspectibus humanis familiaris occurrens, maculam in se retinuit, ad denotandum quod quamdiu in statu vitae praesentis currimus, macula aliqua in sancta ecclesia est.

2. How to recognize a Cathar adept (Bernard Gui)

De ritu autem et modo vivendi et conversandi ipsorum hereticorum expedit tangi aliqua, per que et facilius cognoscuntur et deprehenduntur. In primis itaque sciendum est quod ipsi in nullo casu jurant. . . . Item, nullo modo occiderent aliquod animal nec aliquod volatile, quia dicunt et credunt quod in animalibus brutis et etiam in avibus sunt spiritus illi qui recedunt de corporibus hominum, quando non sunt recepti ad sectam et ordinem suum per impositionem manuum ipsorum secundum ritum eorum, et quod transeunt de uno corpore in aliud corpus. Item, non tangunt aliquam mulierem. Item, in principio mense, quando sunt inter credentes vel inter se, benedicunt unum panem vel unam petiam panis, tenendo panem in manibus cum manutergio seu aliquo panno albo dependente a collo, dicendo orationem 'Pater noster' et frangendo in parvas petias. Et talem panem vocant panem sancte orationis et panem fractionis, et credentes eorum vocant panem benedictum seu panem signatum, et de illo pro communione comedunt in principio mense et dant et distribuunt credentibus suis.

3. The opening of the Fourth Lateran Council (1215)

In die igitur beati Martini inchoatum est concilium. Dominus papa apud Lateranum in ecclesia Saluatoris que Constantiniana dicitur summo diluculo, intromissis solummodo cardinalibus, archiepiscopis et episcopis, eodem die missam in primis celebravit. Qua celebrata et episcopis cum abbatibus . . . per sedes proprias dispositis, milia milium, immo decies centena milia, tam clerici quam populi intra gremium ecclesie iam dicte admittuntur. Quamplurimis itaque intromissis et in eadem ecclesia, cum sit amplissima, nullo fere loco uacante, dominus papa, homo super homines discretus et uere spiritu sapientie et intellectus adimpletus, cum suis cardinalibus et ministris in eminentiori loco constitutus hunc ymnium 'Veni Creator' etc. inchoavit. . . . De <sermone pape>, proh dolor, perpauca propter tumultum populi quem nemo compescere ualuit intelligere potui. Pro quo tamen potui inuestigare non desii donec ipsum optinui et scripto commendaui. In eodem sermone inter cetera pro redemptione terre sancte plurimum exhortatus est. . . . Asseruit etiam dominus papa in eodem sermone quod si principes consulent ad terram sanctam, personaliter sibi laborem uellet assumere.

4. Praise of the Virgin (from Peter the Venerable, *Hymn for the Nativity*)

Salve, virgo benedicta,
quae fugasti maledicta;
salve, mater altissimi,
agni sponsa mitissimi.

Tu serpentem evicisti,
cuius caput contrivisti
cum Deus ex te genitus
eius fuit interitus.

Tu caelorum imperatrix,
tu terrarum reparatrix,
ad quam suspirant homines,
quam nequam tremunt daemones.

Tu fenestra, porta, vellus,
aula, domus, templum, tellus,
virginitatis lilium
et rosa per martyrrium;

Hortus clausus, fons hortorum
sordes lavans peccatorum,
inquinatos purificans
et mortuos vivificans;

Dominatrix angelorum,
spes post Deum saeculorum,
regis reclinatorium
et deitatis solium;

Stella fulgens orientis
umbras fugans occidentis,
aurora solis praevia
et dies noctis nescia;

Parens nostri tu parentis
et genetrix nos gignentis,
piae matris fiducia
natos patri concilia.

Ora, mater, Deum natum
nostrum solvat ut reatum,
et post concessam veniam
det gratiam et gloriam.